






V
B J
C

HONORIS
HONOR
A meritorum luce
ILLVSTRISSIMI DOMINI
D. ALEXANDRI
MICHAELIS
IN ŁASZCZOW & TUCZAPY
ŁASZCZ
PALATINI BEŁZENSIS
IASLICENSIS DIMIDOVIENSIS &c. &c.
CAPITANEI
Publicos inter Procerũ plausus, & omina
ad Solemnem Palatinatûs ingressum
elogiari Stylo, calamo extemporaneo
ex acclini, & tanto Nomini devinctissimo cultu,
Almæ Studiorũ Vniversitatis Zamoscensis

A
M. PAVLO JOANNE KUUK
Philosophiæ Doctore, Publico & Ordinario Sarianæ
Eloquentiæ Professore, Notario Apostolico,
S. R. M. Secretario.

ADORATVS.
Anno Domini,
Millesimo Septingentesimo Undecimo.
Die decimatertia Januarij.

ZAMOSCIJ, TYPIS UNNIVERSITATIS.

Qua in Civitate non maximus virtuti honos tribuitur: in ea optimus Civitatis status, stabilis & firmus esse nullo modo potest.

Arist: lib: 2. de Repub: cap. 9.

Crescit HONORIS HONOS à Præside. Neoter,

- - - - - - - - - Majorq; est purpura major

Dum gerit haud jussam tenues operire lacertos.

Idem.

HONORIS HONOR

á magnis major, non ſemper à Majoribus,
Nimirum;
Summa gloriæ auges, etiam à Maximis derivata,
in minoribus minuitur, decreſcitq; altiſsima in Parvo.
Sola Dignitas dignior eſt à Dignis:
augetur ipſius Majeſtas ab Inauguratis;
Nec mirum:
Sereniſſimus utique meridies eſt, quē ſerenior præceſſit Oriēs
Occidens ille obſcurior, quē denſior ante occupavit Cimeria
Sic pulchrior eſt Purpuræ Aurora,
Solem nacta in Succeſſore.
Nec pudet Magnum, ſe majorem videri, quàm ante.
Nulla enim laudis diminutio eſt,
quæ majore penſatur.
Minor iactura eſt, quæ lucrum grandioris gloriæ reponit
Sic nec Honori rubor, quòd erubeſcat quodammodò
in Purpurato.
Meliusq; niteat muricè tinctus Senatoris.
Nimirum?
Non detrahitur quidquam, ubi majus aliquid attrahitur
Nec decedit Honori, quod major accedat:
evehaturq; potiùs, quàm evehat Optimatem.
Eſtnè mæror Genitori, emeritiſſimꝰ Genitꝰ?

 Quid

Quid mæstitiæ imminet Patri, quod Filius emineat.
Vt enim gloria Magistri, est Discipulus prudens;
Sic tristi Patris senectæ, gaudium est Filii Juventus honorata
Vnde Roma, non immeritò adhuc exultasset,
Vate interprete:
At nos jàm Patribus longe præstamus Avis&.
Nisi opprobrium illud, Romanæ probitati,
inopinatus exprobrasset successus:
defunctis Patribus successit prava Juventus
Quorum consilio periclitata ruis.
Quid deperit fortunæ, si à Fortunato evadat fortunatior!
Hinc non invitus sustinet Honor in vita,
quod exilis grandescat à tua virtutum mole,
ILLVSTRISSIME PALATINE,
ideò tantùm summus,
quòd ut à Maximo olim; ita nunc à Te accipitur.
Hoc Quiritum plausus in Te agnoscit,
quod tantùm Honoris Augustal;
Te hodie surrexerit augustius.
Hoc solo tantùm celsius, quod jàm TVVM sit.
inde majus quod Laszczoviano Nomine intumescat.
Minorem proin se credidisset si Nomen hoc præterisset:
Quod Palatina laudis adorea, pridem cupijt adorare.
Tanta Purpuræ lux à Te effunditur:
Quanta ab antiquo poterat refulsisse.
Plûs planè à Te refert quàm Tibi offert.
Non nites alieno, sed de Tuo tantùm potes:
Vt nativa luce, lucem extingvas mutuatam.
Non es reus Honori; sed Honor Tibi;
imò plùs Tibi debet, quàm dedit.
Nimirum:
Honorariæ Curulis decus est,
dùm Honoratior ille, quem Curiæ Procerum infert.
Hinc nullum illi augustius pensum, quàm Tuâ manu prensari
Meruerint alij trabeas nascendo,
adoraverit in cunis Roma Consules,
Fuerint quibus vitam contulit idem
A *Imperi-*

imperiumq; dies.

cæca hæc Fortunæ donaria sunt,
ludicra alieni præmij lucra,
Nemo hucusque in Tuam vixit Gloriam.
Non desunt tamen Domi Luminaria,
Quæ Te fulgidis Poloni Cæli stellis,
Magnum adderent Sidus
Adest Castoris fulgor, qui Pollucem irradiet.
Magis tamen Te candidatunt ad Purpuram,
Illibatissimæ virtutū Tuarum gemmæ, quàm Majorum Ceræ.

Honorius olim reptaverit per scuta puer,

è cunis, canorum viam ingressurus Heroum:
Tu vix stetisse poteras, jam vestigiis grandiū meritorū institisti.
Reperit, quæ longorū annorū intervalla in magnis vix pariunt
Imperatorio prein passu Honori accedis Imperator,
Clava Ducalis, Palatinam Dignitatem præsignavit,
Clivus hic Clavam, consultissimi Senatoris designet Successori.
Prædux olim Tribus Regibus Stella
Æterni Regis thronum monstravit in præsepio.
Nectareo Divi Ambrosij Natali tres lunæ affulserunt.

LASZCZOVIANO HONORI

Stellatæ SIENIAVIANÆ Lunæ præluxit fulgor;
Vt Sole clariùs constaret,

ILLVSTRISSIME PALATINE

Tam pellucido Te circumdatum esse splendore,
Vt Siderum non cursus sed Naturas;
Si in Te non transumpsisti,
impedire tamen ordinem illorum videaris.

Nimirum:

Hactenus Luna Solis æmula; nunc Sol lunæ æmulus;
Mutuavit lucem à Sole Luna, nunc Sol à Luna;
Quando Serenissimus Heroicarum virtutum Titan
Orbi non tàm alluxisti, quàm illuxisti·
Debuerant ingressus Tui diem, accendisse cœlestes Faces;
Rogum triumphalem Astræi Ignes;
Vt dicere liceat: *Lumen Cæli adesse Tibi*
Luceat ergo super Te vultus Domini

Nobis sanè persvasum est,
Hac Lunâ Præduce Te nunquam erraturũ
Hactenus Leonem in Sole stetisse didicimus;
Tuum hodie in Luna videmus, non tamen attoniti;
Vt cum crescente quoq; crescas nunquam decrescendo
Rotet ergo Orbem illa ad sui Nutus,
Aureos vivemus dies annorum nostrorum.
Bullientibus Maris tempestatibus, Serenum portendat.
Fortitudinem adversam *conterant cornua Lunæ.*
Facilis nonnullis aditus ad Trabeam post Neronem;
ad Fasces post muscam hostium
An muscarum hostem Domitianum,
Rarus velut Senatorem agere post Catonem.
Tu succedis Atlanti Hercules
Regnorum Vnioni Gemma æternitatis digna annulo.
Immunis Tua felicitas, communis est
et Nobilitatis communitas, communis Nobilitas.
Tantis integritati Civium Te impendis curis Conservator;
Vt nec diebus parcas, nec Noctibus, pro vita illorum
Effundis affectus ceu Oceanus in omnes,
tot Filijs gavisus, quòt beneficis fluvijs,
Nec mirum.
Ingentia flumina, maximos amnes hauriunt,
Vt maximè hauriantur.
Egenæ tantùm Naturæ se nec donare nec domare volunt,
Aut nesciunt, dùm timent exhauriri, si aliquid tribuant.
Fons exiguus perire se credit, dum fluit.
Ideò Te Sidereorum Quiritium circumstat Corona,
ceu Suæ terræ Solem
Nisi quòd occasum Famæ nescias.
Sentire tamen coguntur Erratica illa Sidera,
Quæ Patriæ focum succendunt:
Horum flammam ita extingvis;
ut ne proximus ardeat Vcalegon.
non dicant tantùm retroacta sœcula, sed deprædicent.
Non memorent sed sæpiùs cõmemorent annales:
non narrent, sed pleniùs enarrent posteris Majores nostri,
Samso

Samsonicum illud & Leoninum robur ad Chotimum

ILLVSTRISSIMI AVITVI

Non Custodis tantùm Regni Finium; sed SALVATORIS,
Quoties cũ hoste disseruit manus, nõ pugnavit sed fulguravit
Nimirum: Leonina ossa solo attactu ceú silex, ignẽ explodunt.
Mihi non vacat ea attigisse in tempore
in DRVZBICCIIS, FIRLEIS, MODRZEIOWSCIIS, ZAWADZCIIS, RADECCIIS,
quæ æternitatis impressa memoriæ,
immortalitati sunt consecrata.
Dic Domus hæ tangunt Nobilitate polum.
crescant titulis crescant meritis
Alios donec repleant orbes
Fama radiis, facibus laudum.

Tibi verò Illustrissime Domine
Limen Palatinatûs, sit ostium felicitatis.

Vive diademate felix exemptus fatis
Quem non turbine rerum deprendat suprema dies
sed abire paratum ac plenum vitæ

Hoc Musarum Deæ, suo Apollini vovent.

ME quis canentem non popularia
Horatianis induet ignibus
Musæus ardore quod Magistrum
Numen Apollinei recessus?
Quocunq; Sacri verticis accola
Hæres recessus, Phœbe bivorticis
Ocelle Parnassi, & tueram
Primus amor pretiumq; vatum.
Hunc Purpurati conscie Præsidis,
Vatum sonoro septus ab agmine
Descende: Si Musas amantem
Est animus redimire frontem.
Hic ille Præses, cui generosius
Se tota plenis Attica gratiis
Infudit, & facunda sacro
Erudijt Themis ora verbo.
Hæc illa fandi copia virvido
PRAWDZICCIORVM cælitus indita
Ori, Maronis lingua docta, &
Tullius ore potens silebunt,

Si docta Nostri ex ore Demosthenis
Oracla sanis auribus audient.
Auro notandum, quodquod adfert
Consilium Patriæ labenti.
Te Sarianæ Regna Scientiæ
Flexo Lycæi suppliciter genu
Magnum PALATINVM salutant,
Atq; SENATORIAS Curules
Gratantur; ultrò dant literarij
Tributa census: nec Ianuarius
Plausum retardabit, suas dum
Explicat en Academus Vmbras.
Assurge tanto Lechia Nomini,
Belzensis oræ Pergama surgite
Ritu Senatorem solenni
Laurigeris redimite sertis.
Mavortiarum Gloria Gentium
Gaudet cruentis ictibus asseri;
Eiusq; in aversis Gelonum
Vulneribus numerantur anni.
Te Bellicosum Sarmatici Poli
Nostris Achillem temporibus canam.
Osmannus olim TE potentem &
Danubij didicere fluctus.
Turcarum ab armis Austriacæ Domus
Obsessa quando Metropolis fuit,
Vienna, sensit tunc aviti
Strenua facta TVI LEONIS.
Et Thrax acumen sensit acinacis,
Inesse vires Herculeas Tibi
Germaniæ Campi haud negarunt,
Quos proprio gladio invisit.
Quanquam sit anceps alea cæteris
Belli, sed omni tempore dat Tibi
Lauros triumphales, quibus Tu
Sæpe soles redimire frontem.
Herba virtus hæc & Avum TVVM
Æternitati pervigilem Virum
Commendat, Actis gloriosis
Sarmaticis memorandus oris.
Hic Chotimenses fudit acinace
Thracum Phalanges innumeras, fuit
Quem præmijs ditavit amplis
LECHIACÆ Dominator oræ.

Hæc LASZCZIANI Gloria Nominis,
Non ultima hæc est laudis adorea;
Quod gloriosis sæpè factis
Principibus placuisse norûnt.
Quàm tuta Res est publica, quàm integra,
Custodias dum pervigiles agit
Ad limites Regni universos
Is LEO stans oculis apertis.
At ne à potenti distet AVO Nepos,
Primi Gradivi Progenitor suum
Natum procellis Alexandrum
Ausibus & variis Mavortis
Aptat: fit ergò Magnanimus Pugil,
Atrox in hostes: cuncta pericula
Quæ Martialis sustinet Vir,
Hæc mala sustinet Universa.
Vt clarus olim Rex Macedoniæ
Multis triumphis, in tenera licèt
Ætate, sic Hæres Paterni
Nominis atq; sui Trophæa
Ex hostico quàm plurima rettulit:
Semper triumphat, dum latus aspero
Mavortis aptatur labori,
Et solidis bene durat armis.
Vt bellicosæ nectare gloriæ,
Et militaris fulgure Balthei,
Gratoq; classici tumultu,
Et strepitu Clypeorum acutô,
Avara laudum pascitur indoles,
Nescit teneri lege puërtiæ
Festina semper LASZCZIORVM
Gloria, degeneresq; metas
Prægressa virtus, uritur inclytis
AVI Trophæis dignus Avô Nepos,
Implere iam dextrâ capacem
Vsq; adeò sibi visus hastam.
Hæc vera dico, tunc ego præscius
Narrâsse vates; cum Tibi supplici
Cervice procumbent tyranni:
Sternere magnanimo Leoni
Concussa plantis corpora sit satis.
Plaudente verò Delphico Apolline
Ac Hospitum insigni Corona
Scande gradum Trabeati Honoris

